FLORA.

67. Jahrgang.

No. 21. Regensburg, 21. Juli 1884.

Inhalt. W. Nylander: Addenda nova ad Lichenographiam europaeam. — H. Karsten: *Actinomyces* Harz, der Strahlenpilz. — Dr. J. Müller: Lichenologische Beiträge. XIX. (Fortsetzung.)

Addenda nova ad Lichenographiam europaeam.

Continuatio quadragesima secunda. — Exponit W. Nylander.

1. Collemopsis frustulenta Nyl.

Thallus fusconiger, sat tenuis, rugoso-inaequalis, diffractus; apothecia nigricantia plana innata (latit. 0,5 millim. vel minora), margine thallino parum distincto cincta; sporae 8nae ellipsoideae, longit. circiter 0,015 millim., crassit. 0,007 millim. Iodo gelatina hymenialis coerulescens, dein fulvescens.

Supra saxa siliceo-calcarea prope Budapestinum (Lojka).

Species thallo diffracto bene distincta, frustulis difformibus latit. 1 millim. vel. minoribus, contiguis.

2. Omphalaria cribellifera Nyl.

Thallus niger lobato-laciniatus, umbilico lato affixus, subpulvinatus (latit. 3—6 millim.); apothecia incoloria immersa (latit. 0,1 millim. vel minora), gregarie conferta, extus punctulis impressellis notata, punctulis illis spatiola planiuscula vel pulvinatula (latit. 0,6—1,2 millim.) saepius occupantibus; sporae 8nae oblongae vel fusiformi-oblongae, longit. 0,007—9 millim.,

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03549-0389-3

crassit. 0,003—4 millim. Iodo gelatina hymenialis vinose rubescens.

In Pyrenaeis orientalibus, Força-réal, supra saxa schistosa humida, simul cum *Heppia nigrolimbata*, altit. fere 250 metr.

Species distinctissima apotheciis minutissimis aggregatis cribelloso-punctatis, spatiola distincta in laciniis thalli occupantibus.

3. *Heppia ruinicola* Nyl.

Thallus olivaceo-fuscus opacus areolato-squamosus, squamis (latit. circiter 1 millim.) subadnatis margine obscuro-limbatis, subcontiguis. Nec apothecia nec spermogonia visa.

In Tyrolia meridionali super mortarium ruinae (Arnold). Supra lapides murorum arcis ruinosae Fuelek in Hungaria (Lojka).

Comparari possit cum *Heppia obscurante* Nyl., sed ea faciem non habet ita areolato-contiguam.

4. *Lecanora declarata* Nyl.

Thallus albido-cinerascens, sat tenuis (crassit. 0,2—0,5 millim.), verrucoso-inaequalis vel subleproso-granulosus, subdiffractus, passim dispersus; apothecia ferruginea planiuscula (latit. circiter 0,5 millim.), margine thallino subcrenulato cincta; sporae 8nae placodinomorphae, longit. 0,012—16 millim., crassit. 0,005—7 millim. Iodo gelatina hymenialis coerulescens, thecae dein fulvescentes.

Super saxa granitica umbrosa in Hungaria, Tatra (Lojka).

Affinis *Lecanorae caesiorufae* Ach., nox vero distincta margine thallino distincto apotheciorum. Epithecium chrysophanicum.

5. *Lecanora aequatula* Nyl.

Thallus albido-cinerascens tenuissimus rugulosus continuus; apothecia fusca biatoroidea, demum convexula (latit. 0,3—0,5 millim.), intus alba; sporae 8nae fuscae oblongae 1-septatae, longit. 0,012—18 millim., crassit. 0,005—7 millim. Iodo gelatina hymenialis coerulescens, dein vinose fulvescens.

Supra saxa calcarea ad Budapest (Lojka).

Est quasi *Lecanora aequata* (Ach., potius referenda ad Lecanoras quam ad Lecideas) sporis minoribus. Facie *Lecideae lenticularis*. Gonidia versus perithecium intrusa.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03549-0390-7

6. *Lecanora praeradiosa* Nyl.

Thallus pallide ochroleucus placodioideo-radiosus (crassit. fere 0,25 millim.), radiis contiguis convexis (latit. circiter 0,5—0,6 millim.); apothecia testaceo-pallida plana exserta (latit 1 millim. vel minora), margine thallino integro cincta; sporae 8nae ellipsoideae simplices, longit. 0,009—0,011 millim., crassit. 0,007 millim., paraphyses molles articulatae. Iodo gelatina hymenialis vinose rubescens.

Supra saxa siliceo-calcarea prope Budapest (Lojka).

Species insignis, thallo latit. 3—5 centimetrorum faciem habens quasi varietatis cujusdam *Lecanorae saxicolae*, sed revera est e stirpe *L. circinatae*, ubi bene dignota radiis convexis et apotheciis pallidis. Thallus K flavescit, dein mox intensive ferrugineo-rubescit.

7. *Lecanora configurata* Nyl.

Thallus stramineus adnatus, sat tenuis, placodioso-applicatus, radiis depressiusculis (latit. 0,2—0,4 millim.), contiguis; apothecia testacea (latit. 0,2—0,4 millim.), margine thallino vix prominulo cincta; sporae 8nae ellipsoideae, longit. 0,009—0,011 millim., crassit. 0,005—6 millim. Iodo gelatina hymenialis coerulescens, dein vinose fulvescens.

Super saxa quartzoso-trachytica prope Mehádiam in Hungaria (Lojka).

8. *Lecidea campestricola*[1]) Nyl.

Apothecia nigra convexula immarginata (latit. 0,3—0,4 millim.), intus concoloria; sporae 8nae incolores ellipsoideae simplices, longit. 0,009—0,011 millim., crassit. 0,004—6 millim., thalamium sordide violascens, paraphyses non bene discretae, epithecium violaceo-obscuratum, hypothecium vix obscuratum.

Super thallum *Lecanorae subfuscae (campestris)* Schaer. parasita frequens in parte orientali montis Força-réal (Pyren. orient.), altit. circiter 250 metrorum.

Species forte ad stirpem *Lecideae parasemae* adnumeranda. Epithecium et thalamium K violacee tincta. Spermatia leviter arcuata, longit. 0,009—0,010 millim., crassit. fere 0,001 millim.

[1]) Nomen formatum sicut ex. gr. *vericola*.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03549-0391-3

9. Lecidea atrovirella Nyl.

Thallus flavus vel flavo-virescens, areolatus (crassit. circiter 0,2 millim.); apothecia nigra planiuscula (latit. 0,3—0,4 millim.), intus concoloria; sporae 8nae nigrescentes ellipsoideae 1-septatae, longit. 0,015—20 millim., crassit. 0,009—0,011 millim., paraphyses non discretae, epithecium et hypothecium fusca. Iodo gelatina hymenialis coerulescens, dein fulvo-rubescens.

Supra saxa micaceo-schistosa, cum priore, in monte Força-réal, altit. 250 metr., parce obvia.

Forsan sola subspecies sit *Lecideae viridiatrae* Flk., differens sporis uni-septatis et minoribus. Medulla Iodo non obscuratur. Sporae rarius septo longitudinali cruciatim divisae.

10. Verrucaria evirescens Nyl.

Thallus pallescenti-obscurus (obscure virescens, humido statu laete virens), squamulis formatus rotundato-difformibus (latit fere 1 millim. vel etiam multo minoribus), subtus nigris; apothecia pyrenio nigro, extus vix prominulo; sporae 2nae incolores vel demum dilute luteo-fuscescentes, murali-divisae, longit. 0,030—38 millim., crassit. 0,012—20 millim., utroque apice obtusae, gonidimia hymenialia subglobulosa (diam. 0,0025—35 millim.).

In Pyrenaeis orientalibus prope Collioure supra terram simul cum *Heppia virescente* (Despr.) et *Verrucaria adnata* Nyl. Observ. Pyr. or. p. 60. Etiam ad Port-Vendres et in monte Força-réal (altit. 250 metr.).

Spermogonia arthrosterigmatibus pauci-articulatis, cur hanc speciem facile ducere liceat ad *Endocarpa*. In humido statu bene virens facillime dignota inter affines et subsimiles. Radix vix ullus notabilis (in *V. adnata* sat profunde in terram penetrans). Variat thallus sublobatus.

11. Verrucaria simplicata Nyl.

Thallus cervinus, squamulis planis rotundato-difformibus (latit. circiter 1 millim.), margine subnigricante; apothecia immersa pyrenio nigro (latit. 0,2 millim.), sub thallo detruso; thecae monosporae, sporae subsordide lutescentes oblongae murali-divisae, longit. 0,080—95 millim., crassit. 0,027—32 millim., gonidimia hymenialia oblonga.

Supra terram in Pla de las Fourques prope Collioure (Pyren. orient.), socia *Amphidii terreni* et *Heppiae virescentis*.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03549-0392-9

Species affinis *Verrucariae Garovaglii* Mnt., thallo radice distincta infixo. Gonidimia hymenialia longit. 0,003—6 millim., crassit. 0,0025 millim. — Ibidem obvia *V. adnata* Nyl. affinis, sed thecis bisporis, sporis luteo-fuscescentibus minoribus (longit. 0,044—53 millim., crassit. 0,018—23 millim.), gonidimiis hymenialibus subglobulosis. Spermogoniorum typus sicut in *V. clopima*. Radix longit. 3—5 millim., firmula.

Observationes.

1. Pyrenopsis subareolata Nyl. in Prodr. Scand. p. 27 indicata hic definiatur: thallus nigricans vel fusconigricans, opacus, diffracto-areolatus vel granuloso-subareolatus, effusus, sat tenuis, areolis planiusculis vel convexulis; apothecia innata subpyrenodea (latit. 0,25 millim. vel minora), epithecio leviter impresso, margine thallino saepius parum prominulo cincta; sporae 8nae simplices ellipsoideae, longit. 0,011—15 millim., crassit. 0,007—9 millim., paraphyses fere mediocres non confertae nec regulares. Iodo gelatina hymenialis coerulescens, dein vinose rubescens. — Supra saxa calcarea in sylvis prope Vire frequens (Pelvet Larbalestier. Etiam legi in sylva *Quercus ilicis* in monte Força-réal.

2. Leptogium (Homodium) albociliatum Desmaz. apotheciis fertile legit ad St. Etienne Rev. Peyron. Sporae fusiformes uniseptatae, longit. 0,018—23 millim., crassit. 0,007 millim.

3. Cladonia floccida Nyl. Forsan sola forma *Cladoniae pyxidatae *chlorophaeae* Flk. Squamae glaucescentes mediocres, partim et praesertim margine granuloso-leprosae; apothecia testacea in podetiis sat humilibus scyphophoris, scyphis saepe parum evolutis; subnudis aut granuliferis, saepe divisis; sporae longit. 0,015—20 millim., crassit. 0,003—4 millim. In Força-réal monte, basi latere boreali saxi magni, altit. supra mare 250 metr. Apothecia interdum symphycarpa.

4. Lecanora murorum f. *subcitrina* Nyl., thallo pro maxima parte subleproso. Sporae longit. 0,010—13 millim., crassit. 0,005—7 millim. In Hungaria supra saxa trachytica (Lojka).

5. Lecanora incrustans Ach. L. U. p. 405, Syn. p. 174, Nyl. in Flora 1883, p. 106, non est (id jam indigitavit cl. Lamy in Bullet Soc. bot. 1883, p. 374) *Patellaria incrustans* DC. Fl. Fr. II, p. 361, quae pertinet ad *L. calvae* Dicks. formam minorem, sicut jam explicavit Schaerer. Confusio adest in Fl. Fr. sub

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03549-0393-5

hoc nomine, nam incrustans significat lichenem crusta sua obducentem; contra De Candolle gallice reddit illud nomen: „Patellaire creusante“, quod significatione omnino oppositum est nomini *incrustans*. Ceteroquin L. Dufour (inventor et verisimiliter nominator speciei) misit Achario *Lecanorae incrustantis* typum gallicum, qui est Lichen ab Achario definitus et a me sensu eodem conceptus. Nomen *L. incrustans* Ach. est conservandum, addito: non DC.

6. *Lecidea stigmatea* in Nyl. Alger. p. 331 definita referenda sit ad *Lecanoram aequatam* (Ach. L. U. p. 171) e stirpe *L. sophodis*.

7. *Lecidea subnegans* Nyl. Saltem ut subspecies distincta a *L. Dufourii* Ach., Nyl. L. Lapp. or. p. 151. Subsimilis, sed apotheciis etiam intus atris, hypothecio fusco-rufescente (infra dilutiore). — In Hohneck Vogesorum (Mougeot) muscicola; in Jutlandia (Feilberg). Usque ad Fretum Behringii, Konyambay (E. Almqvist). Thallus cervino-cinerascens, K—. Paraphyses subcrassiusculae non bene discretae, apice incrassato sordide nigrescente. Sporae uni-septatae, longit. 0,012—16 millim., crassit. 0,006 millim. Jodo gelatina hymenialis coerulescens, dein violascens. Epithecium et hypothecium K—.

8. *Verrucaria leptolepidea* (Nyl. Prodr. L. Scand. p. 268) propria est species, omnino diversa a *V. Garovaglii* Mnt. jam thallo non radicato.

9. Transcribere hic conveniat observationem meam de genesi gonimiorum jam in Bullet. Soc. bot. 1873, p. 264, datam (de gemmulis seu globulis gelatinosis isidiomorphis apud *Nematonostoc* ibi agitur): „Sunt hae gemmulae primo cellulae gelatinosae agonimicae simplices (diam. fere 0,008 millim.), quae deinde crescentes oblongae evadunt et septo dividuntur; postea eaedem septo cruciato accedente quadriloculares conspiciuntur sensimque pluri-cellulosae. At simul in his gemmulis maxime juvenilibus gignuntur gonimia,[1]) primo unicum gonimium in quovis loculo, serius bina et plura, ita ut syngonimia oriantur hormogonimia continentia, atque jam mature textura cellulosa interior (plus minusve distincta) disparet. Gonimium primo in gelatina gemmulae ortum sensim duplo prolongatur et tum constrictione in dua secedit; similiter cetera in hormogonimia multiplicantur. Talis est origo et evolutio gonimiorum“. —

[1]) In centro globuli gelatinosi secretione gelatinae exorientem materiam phycochromicam in gonimium formari et ibi cito formam magnitudinemque gonimii adulti attingere vidi.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03549-0394-1

Haec observatio simul et schwendenerismum et microgonidismum demolitur. Quoad hunc minksio-muellerismum quoque animadvertatur, si eidem aliquantillum quidem veri inesset, tunc sectio Lichenis cujuscunque, „microgonidiis“ in omnibus texturis praesentibus abundantibusque, tota ex istis corpusculis fabulosis virens vel obscurata conspiceretur, quod se minime ita habet, ut bene constat jam tironi elementario.

10. Aliquoties antea, ut in Flora 1859, p. 625, 1879, p. 206, etc. animadverti contortiones filamentorum apud Lichenes, quales praesertim D. Stahl effinxit et delineavit, nullibi revera obvenire lichenohyphae fere semper sunt rectae vel subrectae, raro nonnihil flexae, numquam contortae. Observem hic, sporas aciculares male dictas „vermiformes“ haud paucis Lichenibus obvenire subspiraliter flexas vel spiraliter una vice convolutas ob depressionem in thecis, ubi hae non satis altae sunt pro longitudine sporarum, quae tunc ita flecti coguntur, ut sibi locum obtineant in sacculo turgescente nimis humili. Notetur quoque apud paraphyses elasticas gelatina circumdatas generis *Graphidis*, eas depressione hymenii sub microscopio interdum conspici quasi undulato-flexuosas, quod a mechanica causa fortuita pendet (cf. Nyl. in Leight. Lich. Amaz. p. 453).

Parisiis, die 15 Maji, 1884.

Actinomyces Harz, der Strahlenpilz.

Dieser seither beim Menschen, Schweine und Rinde beobachtete parasitische Pilz wurde zuerst von Hahn und Bollinger als pflanzlicher Organismus erkannt und von Harz als Endophyt des Rindes unter dem Namen *A. bovis* beschrieben [1]) (Jahresber. d. Thierärzneischule in München 1877). Im Schweine und auch hie und da im Menschen wurden darauf Formen gefunden, die mit gewissen Entwicklungs-Zuständen von *Actino-*

[1]) Piretta (Vergl. Harz: Deutsche Zeitschr. f. Thiermed. V) macht darauf aufmerksam, dass der Name *Actinomyces* schon vergeben sei. Reichenbach führte jedoch unter diesem Namen (Conspectus 1828) unberechtigt die von Meyen (Linnaea II 1827) *Actinomyce* benannte, unzureichend nach einem faulenden Individuum beschriebene, unkenntliche und jetzt verschollene Vegetation auf, die nach v. Heyden (Linnaea 1839. Litteraturbericht S. 51) wahrscheinlich Persoon's *Tremella meteorica* d. h. Froscheierstock ist.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03549-0395-7

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung

Jahr/Year: 1884

Band/Volume: 67

Autor(en)/Author(s): Nylander William

Artikel/Article: Addenda nova ad Lichenographiam europaeam 387-393